

num in habitatorem excipiet, nec fraudulenter de Civitate abstrahet, quatenus habitaculis Alexandria civitas unquam minuatur, & quod Uberto de Fredona bona alodia, & feuda, quæ non a Marchione tenet, quiete ubique relinquet, quæ non clara fuerint. Et si dubium fuerit, per consules, & per alios homines cognoscant. De feudis vero, quæ a Marchione tenet, si inde erit controversia de omnibus in curia sua decidatur infra duos menses proximos, & quod per eum non stabit, quatenus causa illa finiatur. Quasco vero Guillelmo de Belmonte, & ejus hominibus idem faciet, & observabit quod faciet hominibus Portæ Gamundi, & Marenci. Consortes vero eorum cum suis hominibus redeant per eorum loca salvis justiciis eorum, & Marchionis. Item idem faciet Guillelmo Bogerio, & consortibus suis, & filiis eorum, & hominibus de Casino, quod faciet hominibus portæ Gamundi, & Marenci. Simul vero omnem rationem dimittet faciente eo omnibus rationem. Item juravit quod faciet filios suos hoc idem Sacramentum facere, & tantos de sua Curia, quantos Alexandrini voluerint, & Dominam Comitissam uxorem suam sua nobili fide promittere, seu attendere ex sua parte, & addidit in Sacramento, quod si Dominus Fridericus Imperator noluerit hoc confirmare, nec treguam Alexandrinis tenere, ipse Marchio bona fide sine fraude adjuvabit Alexandrinos, quantum alios suos homines. Alexandrini autem facient fidelitatem Marchioni, & uxori, & filiis ejus, & jurabunt salvare, guardare Marchionem, & uxorem, & ejus filios contra omnes homines, & adjuvare eum pro posse ad tenendum omnia sua. Homines vero Gamundi, & Marenci, & Fori jurabunt fidelitatem Vassalli, & Vassalli, cæteri autem ut Pagisani. Homines vero Bergolii, Roboreti, Solerii, Uviliarum, Quargnenti jurabunt fidelitatem contra omnes, salvis fidelitibus, & justiciis Dominorum suorum, & omnes Alexandrini jurare debent tenere firmam pacem Marchioni, & ejus filiis, & marchioni Alberto de Incisa, & senioribus de Lanerio, & omnibus aliis hominibus suæ partis Lombardis, & quod non recipient a modo aliquem Comitem, nec Marchionem, nec Castellatum in habitatorem excepto marchione Malaspina, & Marchione de Cravexana, & illo de Palolde, & alios, quos jam receptos habent, & quod nullum ex terræ Marchionis hominibus accipient in habitatorem absque ejus parabola, & jurabunt, quod non facient juramenta cum Ast, cum Terdona, non cum Papiæ, & quod dabunt Marchioni suum quartum, & sua fida, & omnes suas rationes, & justicias, & pedagium, & curadiam civitatis, excepta decima pedagii, & curadiæ, quæ est Archiepiscopi Mediolanensis. Quinque vero placita contilia totius civitatis habeat Marchio, & pontaticum foris (*al. pontis*) tanagri excepta decima, quæ est Archiepiscopi, & tertia parte, quæ est marchionis Malaspinae, & quod facient ei unicum exercitum per annum pro communibus eorum expensis, Imperatore non habente guerram cum Lombardis, vel eo non morante in Lombardia, & excepto si Papienses essent in eo exercitu pro communi. Item facient ei Palacium unum in Alexandrina civitate,

& quod bona fide dabunt operam, ut Dominus Apostolicus, & Rectores Lombardiæ hæc omnia laudent, & confirment, & adjuvent illam partem, quæ observare voluerit istam pacem, & cum consules Alexandria constituentur per singulos annos debeant jurare, salvare, & custodire Marchionem, uxorem, & ejus filios, & omnia sua, & si de aliquo capitulo istorum aliquo orirentur discordiæ inter Marchionem, & Alexandrinos reformetur, & decidatur per Magistrum Hospitalis Jerusalem, & per Abbatem monasterii S. Mariæ de S. Andrea de Sesto. Hæc omnia jurabunt Alexandrini salvis rationibus, & justiciis, & concordii Archiepiscopi Mediolanensis, & salva concordia societatis Lombardiæ, sicut jurarunt, & tenentur de statu, & unitate Lombardiæ, & ejus societatis, & salvis conventis, & concordii, quas habent cum marchione Malaspina, quia sic inter eos convenit quidem, & ad hanc pacem, & concordiam confirmandam, & laudandam interfuerunt Malfilius de Menulsi, & Willielmus de Ossa consules communis Mediolanensis, Obertus de Bonefacio consul communis Placentiæ, & Gregorius Noxatus consul communis Novariæ legati Rectorum Lombardiæ, qui ad Archiepiscopum Mediolanensem convenerant, unde plures chartæ sunt rogatæ scribi uno tenore. Actum in territorio Apiani feliciter. Signa manuum infra scriptorum Marchionis, & Potestatis, & consulum Alexandria, qui hanc chartam, ut supra fieri rogaverunt, & infra scriptorum legatorum, qui adfuerunt ut supra. Interfuerunt testes Bernardus Marchio de Occimiano, Albertus marchio de Incisa, Eleuterius (*Eleemosina*) Archipræbiter de Quargnento, Ugo de Parma filius Thebaldi, Pastoronus de Vignale, Ferrarius de Valencia, ac alii.

Ego Sicus Joannes Notarii Sacri Palatii jussu prædictorum Marchionis, & Potestatis, & Consulum Alexandria rogatus scripsi, & interfuerunt alii multi, ibique de curia marchionum juraverunt idem Sacramentum, quod fecit Marchio, Pastor, Jac. Refantus, Ferrarius de Valentia, Cutus fori, Henricus de Caburro, Acatapanus Mutus, & Raimundus de Felizzano, Manfredus Saza, Guadalupus, Oglelius de Castronovo, Nicolaus, ac Præbiter de S. Salvatore, Gullielmo Scazop, Germanus de Cabmagna, Jacob Pastoran, Abbas, & Albertus, & Afelelius de Cotendenderio, Guillelmus de Pocopallea, Guillelmus Zica, Obertus de Orzano, Guidoputalea, Casulis de Falerio, Rufinus Quasus, Petrus Abbas, Joannes de Cedona, Azus de Cazulino, Joannes de Montogromerii ex parte dictorum Alexandrinorum jurarunt, sicut statutum est Potestas Canefrus, Willielmus, Obertus, Nata, Acata, & alii plures.

*Privilegium Alexandri III. Papæ Monasterio S. Quintini de Spigno ex autographo penes I. C. Matteum Boccaccium.*

MCLXXVIII.

59

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Rollando Abbati Monasterii S. Quintini de Spigno, ejusque fratribus tam præsentibus, quam